Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 851

Quelle:
Copyright:

cundum eius tenorem plene, et aliorum qui adhuc non ſigillauerunt. Et integre ſigillata vna cum bullis papalibus in archa vniuerſitatis in aliquo loco ſecuro ponenda cuſtodiatur. — Sextum eſt ut propter validiorem et efficaciorem correctionem et diſciplinationem ſuppoſitorum uniuerſitatis ex auctoritate poteſtas iudiciaria rectoris fundetur. Atque haec omnia tam opportunis rationibus fulciuntur, ut tota haec *Informatio* vulgari mereretur, iis addenda, quae de Academia noſtra L. II. *Commentar.* edidit *Lambecius* et in T. I. *Analect.* tranſtulit *Kollarius.*

XII. *fol.* 234. p. 2. *Sermo bonus de indulgencijs.* Ita in calce. In Elencho vero Thecae anteriori Codicis inſcripto: *Quidam Tractatus.* Non igitur auſus Scriba tribuere *Henrico de Haſſia*, cui omnia praecedentia tribuerat. Interim *Theod. Petrejus* in *Bibl. Carthuſ.* p. 131. autor eſt, *Henricum de Haſſia* nonnulla *de Eccleſiae Clavibus ac Indulgentiis* commentatum fuiſſe. Et ille quidem hunc *Henricum Auguſtinianum* facit; ſed *Felix Oſſingerus* Clero ſeculari ingenue remittit in *Bibl. Auguſtin.* p. 987. Utut ſit, Sermo noſter, qui incipit: *Quodcunque ligaueris ſuper terram* &c. *Matth.* 16. *Duos fines ultimos futuros eſſe in fine ſeculi deſcribit beatus Auguſtinus* &c. indignus non eſt *Henrico* noſtro, a quo nunc Codex ad alia tranſit.

XIII. *fol.* 248. in margine: *Incipit liber ſancti Auguſtini de natura boni.* Praemittitur Locus L. II. *Retract.* c. 9. Opuſculum ipſum inſit: *Summum bonum, quo ſuperius non eſt, deus eſt.* &c. ut edit. *Maur.* T. VIII. *col.* 501. f. Integrum.

XIV. *fol.* 259. p. 2. Triga illa ſpuria *Epiſtolarum* de D. *Hieronymo*, videlicet *Euſebii ad Damaſum, Auguſtini ad Cyrillum, et Cyrilli ad Auguſtinum.* Prima quidem nonniſi a *Cap.* 45. *Hec vbi vir ſanctiſſimus continuatis lacrimis* &c. Ceterum prout extant in edit. *Vallarſii* T. XI. *col.* 314. et a me pluries utroque *Vol.* relatae ſunt.

CCCLXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 257
Folior. 174. f. per duas columnas currente calamo exaratus, rubricis diſtinctus, et quondam *M. Stephani de Pulka Prouiſoris Capelle ad ſanctum Jeronimum Wyenne*, dein a *M. Andrea de Weytra Canonico ad S. Stephanum et Collegii B. V. rubee roſe apud fratres predicatores Superintendente* eidem Collegio legatus complectitur I. *Gregorii M. Homilias in Ezechielem Prophetam.* Praeit Epiſtola ad *Marinum* Ep. prout edit. *Maur. Pariſ.* 1705. T. I. *col.* 1173. f. *Omelias que in beato ezechiele propheta* &c. Initium *Hom.* I. eſt: *Dei omnipotentis aſpiracione de Ezechiele propheta loquturus* &c. Nulla in *Libros* diviſione decurrunt *Homiliae* XXII. lectione ſat proba. Ad calcem ἀδέσποτως adjecta eſt viſio Columbae *Gregorio* adſpirantis, prout habetur apud *Paulum Diac.* in ejus *Vita* c. 28. edit. ſuprac.